

S. Hieronymus in II. lib. adversus Jovinianum ex proposito disputat, meritorium esse jejunium.

S. Augustinus serm. 62. « Jejunium, inquit, remedium est, aut primum. Hoc est, aut indulgentiam peccatorum, aut primum regni caelestis acquirat ».

Auctor libri de ecclesiasticis dogmatibus, qui habetur in 4. tomo S. Augustini, sic loquitur cap. 68. « Pro amore castigandi corporis abstinentibus a vino, vel carnibus, nihil credere meriti accrescere, non hoc Christiani, sed Joviniani est ».

S. Leo serm. 1. de jejunio septimi mensis: « Ut per humilitatem, inquit, jejunii contra omnes hostes nostros divinum mereamur auxilium ».

Ad aliqua testimonia Patrum, quae in toto praesenti capite citavimus, respondere nititur Kemniti, in 4. part. examinis, pag. 490. et seq. Primo dicit, Patres saepe rhetoricari solitos: nam existimant, ut ipse ait, se hujusmodi rhetoricis exaggerationibus efficacius posse homines ad suscipienda et exercenda jejunia promovere. Sicut Chrysostomus fatetur in lib. de compunct. cordis, quaedam cohortatorie magis, quam vere dici.

Secundo addit, posse Patrum sententias ad analogiam fidei explicari, si dicamus, eos tribuere jejunio tamquam causae remotae id, quod convenit orationi, vel poenitentiae, quibus jejunia servire debent.

Tertio, objicit aliqua loca Patrum, ubi legimus, jejunium a cibis nihil prodesse, nisi jejunetur a vitis. Ac dicit, in his locis se Patres explicasse.

Quarto, cum videret non satis commode verba Patrum ita exponi, fatetur eos errare: « Negari, inquit, non potest, Patres in rhetoricis illis jejunii encomii saepe longius protractos, ab analogia fidei, et norma Scripturae non parum discessisse ». Et infra: « Quando contra hanc fidei analogiam Pontificii talia veterum dicta urgent, cogimur salva reverentia, quae tam magnis viris debetur, illa rejicere, ut fundamentum salutis salvum retineamus ». Et infra: Quando Pontificii tales veterum excessus ad palliandas et stabiliendas superstitiosas de jejuniis opiniones producant, cogimur contradicere, et a Patrum exorbitantibus vestigiis aliquantisper discedere, ut juxta canonem Scripturae recto pede ad veritatem Evangelii ambulare possimus ».

Sed haec omnia facile refelluntur. Nam

quod attinet ad primum, si Kemniti unum aut alterum Patrem rhetorica amplificatione usum esse diceret, non videretur omnino sine ratione loqui: at quis credat, nullum fuisse ex tanto numero Patrum, qui non extulerit supra veritatem jejunii laudes? Adde quod multa testimonia adduxerimus non excerpta ex sermonibus, sed ex libris dogmaticis, vel commentariis Scripturarum, in quibus locum non habent rhetoricae amplificationes. Quod autem Kemniti Chrysostomum citat ex lib. de compunct. cordis, plane contra se citat. Chrysostomus enim eo loco, non laudat, sed reprehendit eos, qui ad homines terrendos aliqua cohortatorie, non vere dicta existimant.

Quod attinet ad secundum. Non possunt testimonia Patrum ita exponi, ut solum velint jejunium servire orationi et poenitentiae, praesertim si dicatur, jejunium signum esse poenitentiae, non autem partem, sive opus, et fructum poenitentiae. Patres enim omnia distincte docent, nimirum jejunio juvari orationem, et praeterea placari Deum, impetrari beneficia, satisfieri pro peccatis, etc.

Porro non facit ad rem, quod affertur tertio loco. Fatemur enim parum prodesse jejunia a cibis, si non abstinence a vitis; sed ideo jejunia utilissima esse dicimus, quia juvant, ut purgemur a vitis, et ut in vitia non labamur. Proinde non pugnant sententiae Patrum inter se, neque una sententia impedit, quo minus aliae sint verae, etiamsi proprie et sine tropo accipiantur.

Quod vero quarto loco Kemniti dicit, id plane satis est ad ipsius et ejus similium novatorum temeritatem coarguendam. Quis enim sibi persuadere possit, tot sanctissimos et doctissimos Patres minus recte canonem sacrae Scripturae intellexisse, et fundamentum fidei et salutis tenuisse, quam paucos novatores, magis Grammaticos quam Theologos? Quis non magis credat Kemniti exorbitasse, et a norma, atque analogia fidei recessisse, quam Basilium, Chrysostomum, Ambrosium, Hieronimum et alios, quos citavimus, quibus injuriam facimus, si cum eis novatores istos ulla ex parte comparemus.

CAPUT XII.

Solvuntur objectiones.

Sed videamus quae ipsi argumenta habeant, ut probent, jejunium non esse cultum, nec satisfactorium, vel meritorium.

Primum objicit Brentius, testimonium Isaiae, c. LVIII. « Numquid tale est jejunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam suam etc. Nonne hoc est magis jejunium, quod elegi? Dissolve colligationes impietatis etc. ». Addit Kemniti testimonium Hieremiae, cap. XIV. « Populus hic diligit vacillare pedibus, et non abstinere, vel cohibere se. Ideo Domino non est complacitum in illis. Et si igitur jejunent, non exaudiam. » Item testimonium Zachariae, cap. VII. « Cum jejunaretis, et plangeretis, numquid jejunium jejunastis mihi? » His testimoniis, aliisque similibus probari existimant, jejunium non esse cultum Dei.

Respondeo: Ex allatis testimoniis non solum non colligitur, jejunium non esse cultum Dei, sed colligitur omnino contrarium. Nam cum Dominus dicat, non placere sibi jejunium eorum, qui non student mores emendare, satis aperte indicat, illud jejunium sibi placere ac per hoc esse cultum, quod est conjunctum cum justitia et pietate. Itaque cum dicitur: « Numquid hoc est jejunium, quod elegi, affligere hominem per diem animam suam? » Subintelligendum est, solum, ut monet S. Hieronymus in commentario, ut sensus sit, non placere Deo jejunium, in quo solum affligitur anima, sed illud, in quo cum afflictione animae conjuncta est emendatio morum. Placere enim Deo, ut homines jejunando affligant animam, perspicuum est ex cap. XVI. et XXIII. Levitici, et cap. XXIX. Num ubi Deus indicit jejunium septimi mensis, et non solum dicit: *Affligetis animas vestras*, sed etiam addit: *si quis ea die afflictus non fuerit, peribit anima ejus de populo suo* (1).

Secundo, objicit Calvinus illud Joelis II. *Scindite corda vestra et non vestimenta vestra*. Id est, non carnis afflictione, sed cordis contritione convertimini ad Deum.

Respondeo: Per scissionem vestium non significatur jejunium, aut alia corporalis afflictio, sed signum plane externum doloris, et poenitentiae. Jejunium enim conjungitur ab eodem propheta cum ipsa conversione et contritione cordis ut fructus ejus: *Convertimini ad me in toto corde vestro in jejunio, et fletu, et planctu*. Deinde non prohibetur scissio vestium, quidquid tandem illa significet, nisi quando non ei respondet cordis contritio. Itaque sensus est: nolite scindere solum vestimenta, sed etiam corda. Scissionem

enim vestium in signum detestationis ac doloris, non displicuisse Deo, vel ex eo potest intelligi, quod etiam post Christi adventum Apostoli hac caeremonia usi fuisse inveniuntur, Actor. XIV.

Tertio objicit Philippus verba illa B. Pauli, I ad Timoth. IV. *Exerce te ad pietatem. Corporalis enim exercitatio ad modicum valet: pietas autem ad omnia* (2). Ubi nomine corporalis exercitationis intelligitur jejunium, ut Ambrosius in commentario exponit. Quare cum opponatur jejunium pietati, quae proprie ad cultum Dei pertinet, sequitur, ut jejunium proprie non sit cultus.

Respondeo: Duae sunt hujus loci explicationes. Una est commentarii, qui tribuitur Ambrosio, quae quidem per corporalem exercitationem jejunium intelligit, sed per pietatem non intelligit cultum Dei proprie dictum, sed misericordiam in pauperes. Vult autem hic commentarius, jejunium ad modicum utile esse; nisi cum misericordia, et eleemosynis conjungatur. Quod idem docet Chrysostomus, homil. 78. in Matth. ubi dicit, jejunium sine eleemosynis nihil valere. Quod intelligendum est, si eleemosynae faciendae praecipuum occurrat, et is qui jejunat, tam sit avarus, ut nolit eleemosynam facere etiam de eo, quod sibi superest, et quod alias consumpsisset, nisi jejunare instituisset. Alioqui enim jejunium cum eleemosyna conjungere non est necessarium, quamvis sit utilissimum. Quare S. Ambrosius serm. 33. S. Augustinus serm. 56. et S. Leo serm. 2. de jejunio decimi mensis, non jubent, sed hortantur, ut unusquisque tempore jejunii prandium, quod sibi ipse subtrahit, pauperibus erroget.

Altera expositio verior, et plane ad mentem Apostoli, est Chrysostomi, Theodreti, Theophilacti, Oecumenii et aliorum, qui per corporalem exercitationem non intelligunt jejunium, sed studium corporis confirmandi, et corroborandi, quod faciunt athletae, gladiatores, milites, et caeteri, qui viribus corporalibus egent. Sumit enim Apostolus similitudinem ab athleticis, cum ait: *Exerce te ipsum ad pietatem*. Nam id significat vox Graeca γυμναζε. Et sensus ejus loci hic est, exerce te more boni athletae ad cursum, vel certamen pietatis. Hoc enim vere utilissimum est, tum in hac vita, tum in futura. Nam qui vires exercent ad cursum, vel cor-

(1) Levi. XXIII, 27; Joel. II, 12. — (2) I Tim. IV, 7.

porale certamen, parum omnino inde lucratur in hac vita, et in alia prorsus nihil. Similis locus est I Corinth. ix. *Qui in agone contendit, ab omnibus se abstinere, et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam* (1).

Porro, sanctus Joannes Chrysostomus non solum docet, Apostolum non loqui hoc loco de jejuniis, sed etiam refellit eos, qui contra sentiunt. Neque enim credibile est, Apostolum vocaturum fuisse jejuniis corporalem exercitationem, cum jejuniis ad corpus extenuandum, non ad confirmandum referatur; et cum sit vere spiritualis et cœlestis exercitatio. Deinde, quomodo diceret idem Apostolus, jejuniis ad modicum valere, cum ipse idem ad jejuniis tam frequenter, et verbo, et exemplo discipulos hortaretur? Denique, numquam Apostolus jejuniis pietatem opponeret, quæ habet promissionem vitæ, quæ nunc est, et futuræ, cum id maxime conveniat jejuniis, ut in hac vita sanitatem efficiat et conservet, ut patet ex cap. i. Danielis: et in alia mercedem accipiat a Patre cœlesti, juxta promissionem Domini, Matth. vi. Itaque recte S. Leo, serm. i. de jejuniis Pentecostes: « Sequitur, inquit, solemne jejuniis, quod animis, corporibusque curandis salubriter institutum, devota nobis est observantia celebrandum.

Quarto, objicit Kemnitius, quod Lucæ 18. Pharisæus allegans jejuniis sua justificatus non fuerit, et quod Matth. ix. Christus opinionem, qua Pharisæi jejunabant, comparaverit vestibus detritis, quibus Evangelii novitas non conveniat. Ex quibus locis manifestum esse dicit, jejuniis improbari et rejici a Deo, si suscipiantur opinione Pharisæica, vel ad ostentationem, vel ad meritum, satisfactionem, seu justificationem.

Respondeo: Quod attinet ad priorem locum, Pharisæus non ideo justificatus non est, quia jejunabat bis in Sabbato, aut quia jejuniis ad justificationem aliquid valere existimabat, sed quia superbe ostentabat bona opera sua, et alios contemnebat. Dominus enim anteposuit Publicanum Pharisæo, quia humilis erat, et Pharisæus superbus, non quia Pharisæus jejunabat, et Publicanus non jejunabat. *Descendit, inquit, hic justificatus ab illo, quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur.*

(1) I Cor. IX, 15.

De altero testimonio ex cap. ix. Matth. disseruimus supra, ubi ostendimus, manifeste errare Kemnitium, dum jejuniis detritis vestibus comparatum esse docet, cum potius contra novis sit vestibus comparatum.

Quod autem Kemnitius eandem rationem esse vult jejuniis ad ostentationem, et ad meritum, satisfactionem, et justificationem, facit more suo, qui solet omnia confundere. Nam jejuniis ad ostentationem malum esse, et in Scripturis passim reprehensum notum est ex cap. vi. Matth. xviii. Lucæ, et ex aliis locis. Jejuniis autem ad meritum acquirendum, vel ad satisfaciendum pro peccatis, in Scripturis non solum non reprehendi, vel etiam probari et laudari, multis testimoniis et exemplis superiore capite demonstravimus.

Quinto, objicit idem Kemnitius, cap. ii. ad Colossenses, ubi (ut ipse dicit) Paulus reprehendit et damnat factitias, seu electitias illas religiones, quæ in cibis, qui ipso usu consumuntur, cultum Dei constituunt; et juxta traditiones hominum sub specie humilitatis, et severioris disciplinæ corpori non parcunt, sed illud ita vexant, affligunt et macerant (hoc enim significat ἀπειθεία) ut debitum honorem necessaria sustentatione, et convenienti curatione ei non tribuant. Atque in hac disciplinæ severitate cultum Dei constituunt.

Respondeo: Duo quædam Paulus reprehendit. Primum, cultum Dei in cibi, potusque abstinentia situm, non quemcumque, sed supersticiosum et falsum. Nam vox ἐθεισθησεία, tametsi sonet cultum voluntarium, tamen non significat cultum voluntarium, ut distinguitur a cultu imperato et necessario, sed ut distinguitur a cultu rationabili. Illa enim dicuntur interdum voluntaria, quæ non habent fundamentum rationis, sed ideo fiunt, quia sic libet. Reprehendit igitur Apostolus abstinentiam Judæorum, vel hæreticorum, qui putabant, cibos aliquos per se esse immundos, et in eo religionem constituebant, si cibos ejusmodi numquam gustarent. Quæ religio voluntaria et falsa, ac supersticiosa merito nominatur, quoniam non fundatur in Scripturis, aut in aliqua solida ratione, sed in deliratione et somniis, vel potius in voluntate quorundam hæresiarcharum. Abstinentia autem Catho-

licorum ἐθεισθησεία dici non potest, et multo minus cultus factitius, vel electitius, ut eum Kemnitius vocat, quoniam Catholici non fingunt ex capite suo, Deo gratiam esse suam abstinentiam, sed ex testimoniis et exemplis Scripturæ, et Patrum colligunt, ut superiore capite demonstravimus.

Secundo, reprehendit Apostolus eos, qui sine moderatione jejunant, ita ut non parcant corpori, neque ei suppeditent quæ sunt ad vitam, vel ad sanitatem necessaria. Ita enim hunc locum interpretatur Chrysostomus in Commentario, et sanctus Hieronymus in epist. ad Algasiam, quæst. 10. Atque hoc ipsum Catholici omnes libentissime confitentur. Castigari enim et affligi volumus carnem, ut Scripturæ faciendum esse docent, non autem interimi, aut morbum contrahere.

Sed est etiam alia ejusdem loci expositio apud sanctum Augustinum, in epistol. 59. ad Paulinum, quæ sententiam nostram plane confirmat. Scribit enim Augustinus, notari, ac reprehendi ab Apostolo illos, qui videntur non sine ratione jejunare, cum id videantur referre ad corpus castigandum et cor humiliandum; sed tamen revera non propter hoc potissimum, sed propter superstitionem suam jejunant, qua videlicet sibi persuaserunt, cibos aliquos natura sua esse immundos. Itaque ex Augustini sententia non reprehenduntur hoc loco, qui carnem jejuniis affligunt, et in ea re cultum aliquem, id est, opus Deo gratum constituunt: sed illi qui videntur ea de causa jejuniis operam dare, re autem vera superstitionem suam per abstinentiam illam alere et augere conantur.

Sexto, objicit idem Kemnitius, quod meritum, aut satisfactionem in jejuniis ponere, sit fundamentum redemptionis et salutis negare.

Sed argumentum est commune contra omnia bona opera, et satis copiose a nobis refutatum, in disputatione de Merito et Satisfactione.

CAPUT XIII.

Solvuntur objectiones ex Patribus.

Ex Patribus et historia antiquitatis multa colligit argumenta Kemnitius, contra meritum jejuniis; sed magna ex parte tam sunt inepta, et levia, et mendaciis undique as-

persa, ut pigeat in iis referendis vel refellendis tempus terere. Pauca quædam attinam, quæ graviora visa sunt.

Primum igitur ex Ignatio duo loca producit. Primum est in epistol. ad Heronem, ubi sic loquitur Ignatius: « Jejunis et orationibus vacato, sed non immodice, ne te ipsum destruas, a vino et carnibus non penitus abstineto, neque enim abominabilia sunt. » Et infra: « Quicumque dicit aliquid contra ea, quæ mandata sunt, etiamsi fide dignus sit, etiamsi jejundet, etiamsi prophetet, etiamsi signa faciat, lupus tibi habeatur sub ovis pellè, ovium existium machinans ».

Alter locus est in epistol. ad Philippenses: « Si quis in reliquis recte sentiat, ex cibis autem quosdam vocet abominabiles, ille inhabitatorem habet draconem Apostatam ».

Ex his locis Kemnitius ita colligit: « Fuerunt igitur, inquit, Ignatii tempore circa annum 110. qui a cibis quibusdam, maxime a carne et vino sub specie religionis abstinuerunt, et immodicis jejuniis corpora læserunt, etc. ». Quibus verbis Carthusienses, aliosque Catholicos Monachos reprehendit, qui carnibus nunquam vescuntur.

Sed facilis est responsio. Nam Ignatii doctrina sanctissima est, et ab omnibus Catholicis libenter admittitur. Non enim sanctus Ignatius illos reprehendit, qui propter continentia virtutem semper a vino et carnibus abstinent, sed eos, quid id faciunt, quod vinum et carnes res immundas esse arbitrentur, quales fuisse ipso Ignatii tempore Ebionitas, ex Epiphania constat.

Id autem ita esse, probatur primo, quoniam alioqui S. Jacobum Apostolum, Ignatius reprehendisset, qui teste Egesippo apud Eusebium, lib. ii. historiarum, cap. 22. a carnibus et vino perpetuo abstinebat. Quod idem commune fuit omnibus illis sanctis Anachoretis, Antonio, Hilarioni, Machario, Simeoni Stilitæ et aliis, quorum laudes Athanasius, Hieronymus, Palladius, Theodoretus et alii veteres conscripserunt.

Præterea, sanctus Ignatius cum dicit, non esse a vino et carnibus abstinentium, quia non sunt abominabilia, aperte docet, tunc esse malum a vino et carnibus abstinere, cum aliquis propterea illis abstinere, quod abominabilia esse credat.

Denique, sicut reprehendit Ignatius pro-